

declarata est; sic enim ibi dicitur: Vel ab homine (non tamen nominatim) quomodolibet latis. Sic autem excommunicatio nominatim lata, et excommunicatio per sententiam particularem idem sunt; ergo.

4. Tertio, sub generali clausula, ut est regula juris, non comprehenduntur specialia, quæ in particulari concedi non consueverunt, præsertim ubi peculiaris difficultas, vel injuria tertii intercedit; sed hujusmodi est facultas absolvendi a particulari censura ab homine lata, ut constat tum ex usu, tum ex ratione facta, quia cedit aliquo modo in injuriam judicis; ergo talis facultas non comprehenditur sub clausulis generalibus; specialis autem concessio non invenitur; ergo negandum test esse concessam. Et ideo non satis colligitur ex alio indulto Eugenii IV et Cælestini V, nam omnia illa verba generalia sunt. Licet enim in eis dicatur, *a jure vel ab homine*, et infra addatur, *in genere, vel in specie promulgatis*, non satis determinantur verba ad sententias particulares ab homine; nam illa particula *vel in specie*, non videtur referri ad personam in quam specialiter fertur censura, sed ad speciem censuræ, vel pænæ; aliquando enim fertur censura sub nomine generali, ut suspensionis, verbi gratia, aliquando sub nomine speciali, ut suspensionis ab officio vel beneficio. Potest etiam illud verbum referri ad speciem delicti commissi, ut supra declaravimus.

5. Nihilominus censeo per privilegia religionum absolvi posse religiosos et novitios, seu ingredientes religionem, ab omnibus censuris latis, etiam ab homine per sententiam specialem. Hoc suadet satis probabiliter privilegium proxime tractatum; nam verba illa, *vel in specie promulgatis*, revera habent vim, et difficile distrahuntur ad alios sensus, nam sententia specialis distinguitur a generali; dicitur autem generalis sententia, quæ non fertur in determinatam personam, et proprie dicitur illa, quæ nec ratione delicti determinatur ad auctorem ejus; ergo specialis dicitur ratione determinatæ personæ in quam fertur. Et licet verum sit posse dici specialem, eam quæ fertur in auctorem singularis delicti commissi, licet incognitum, non est tamen cur ad illam solam verba illa limitentur, cum magis proprie sit specialis quæ fertur in personam nominatam, et verba privilegii absoluta sint. Præterea persuadet omnino, ut opinor, hanc sententiam Indultum Pauli III Societati concessum, et sub his verbis con-

ceptum: *A quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis et secularibus sententiis, censuris et pœnis, a jure vel ab homine quomodolibet latis et promulgatis*. Expendo enim illud adverbium *quomodolibet*; si enim absolute dixisset *ab homine*, posset per argumentum supra factum restringi ad sententiam generalem; cum vero additur *quomodolibet*, non habet locum restrictio: nam solum ad hoc addi potuit, ut talis restrictio tolleretur. Unde infero, doctrinam hanc procedere, etiamsi quis nominatim denunciatus sit, quia Pontifex non fuit contentus dicere, *quomodolibet latis*, sed addit etiam *promulgatis*; denunciatio autem excommunicationis latæ nihil aliud est quam promulgatio talis sententiæ; at sententia quomodolibet promulgata, per hanc potestatem remitti potest; ergo etiamsi nominatim denunciatus sit. Et ideo in Compendio Societatis, verb. *Absolutio*, § 6, ubi de hac facultate fit mentio, simpliciter dicitur, *vel ab homine latis*, sine ulla restrictione vel declaratione, in quo significatur nullam esse necessariam. Sed de hoc privilegio iterum in tract. 10, libro nono, capite secundo, numero vigesimo secundo.

6. Dices: ergo, si contingat religiosum excommunicari ab Episcopo in casu aliquo sibi commisso, poterit nihilominus a suo Prælate absolvi, imo etiamsi excommunicatus sit a legato, vel iudice aliquo Apostolico. Item, licet sit excommunicatus a suo Generali vel Provinciali, poterit absolvi a Guardiano vel Priore. Quæ omnia videntur absurda, quia sunt contra debitum ordinem et regimen, et in injuriam judicis ferentis sententiam. Sequela autem patet, quia verba illa, *quomodolibet ab homine*, tam generalia sunt, ut omnia hæc comprehendant. Imo in illo privilegio additur exceptio, nisi casus sint adeo graves et enormes, ut merito censeatur Sedes Apostolica consulenda, et declaratur hujusmodi esse solum illa quatuor a Sixto IV excepta, supra, cap. 21, num. 1, allata; ergo hæc exceptio firmat regulam quoad omnes alias sententias a jure, vel ab homine quomodolibet latis; ergo comprehenduntur omnes casus supra numerati. Quin potius, nisi illi comprehenderentur, non posset hæc facultas exerceri circa religiosos quoad sententias particulares in eos latis postquam religiosi sunt. Consequens est absurdum; ergo. Consequentia patet, quia in illo statu jam constituti excommunicari non possunt, nisi vel a

suis Prælati, vel ex speciali commissione et potestate Apostolica. Minor probatur, quia, licet in favorem religionis concedatur hoc privilegium pro his qui volunt ingredi, non tamen pro solis illis, sed maxime pro jam professis, seu religioni per vota conjunctis, imo ad eos principaliter dirigitur privilegium, ut ex ejus tenore constat, et in eo expresse additur, ut absolvi possint ab omnibus ante vel post ingressum religionis in Societate commissis; ergo etiam a sententiis in eos latis quomodolibet ab homine, etiam postquam religiosi sint.

7. Respondeo igitur concedendo sequelam quoad eam partem de censura lata a iudice, vel Prælate aliquo extra religionem, quia privilegium ad hæc omnia extenditur, et ex vi alterius privilegii, Benedictinis concessi, possunt superiores etiam locales Societatis, juxta Compendium, in verbo *Absolutio*, § 10, absolvi subditos a quibuscumque sententiis et peccatis, etiamsi talia forent propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda. Additur autem ibi, *ut id fiat præmissa ex parte subditorum debita satisfactione*. Ad hanc autem satisfactionem pertinere existimo, ut, quando specialis sententia ab homine præcessit, ut non solum parti læsæ, si qua fuerit, sed etiam Ecclesiæ, id est iudici (juxta modum loquendi Evangelii), nam per contumaciam specialem illi facta est specialis injuria. Oportet ergo ut ante omnia absolvendus a contumacia recedat; deinde ut satisfactionem exhibeat, vel offerat, aut promittat, prout potuerit, et tandem ut iudicem, a quo excommunicatus est, saltem reddat certum de obedientia sibi et Ecclesiæ reddita, et absolute obtenta; ita enim vitantur incommoda quæ ex dicto privilegio sequi posse videbantur. Et hæc est sufficiens ratio hujus interpretationis, quia privilegium ita debet sortiri suum effectum, ut in reliquis omnibus quam minimum lædat aliorum jura, et præsertim ea quæ ad convenientem gubernationem pertinent.

8. Ad alteram vero partem, quæ spectat ad sententias majorum Prælatorum ejusdem religionis, dicendum est, in eis esse hoc speciale, quod superiores possunt sibi casus, vel sententias reservare, et inferiorum Prælatorum jurisdictionem restringere, non obstantibus privilegiis, ut dictum est. Si ergo superior Prælati hoc modo tulerit sententiam, vel ex Constitutionibus, aut ex consuetudine religionis constiterit hanc restrictionem seu

reservationem esse factam, tunc neganda est sequela, quia quoad hanc partem habet inferior Prælati restrictam, vel non sibi communicatam hujus privilegii facultatem. Si autem talis restrictio vel reservatio non est facta, concedenda est sequela, eodem modo quo in superiori parte dictum est. Et fortasse hæc est intentio superioris Prælati non restringentis jurisdictionem inferioris, ut subditus statim ac fuerit bene dispositus, et satisfactionem obtulerit, sine dilatione possit absolvi.

CAPUT XXVI.

DE POTESTATE PRÆLATORUM RELIGIONIS CIRCA BONORUM TEMPORALIUM ADMINISTRATIONEM EX PRIMÆVA INSTITUTIONE, A JURE ANTIQUO PERMISSAM.

4. *Notationes aliquot pro decisione præsentis capituli.*—*Triplex caput administrationis temporalium, acquisitio, conservatio, alienatio.*—Præter potestates circa personas, necesse est ut Prælati religionis habeant potestatem circa bona temporalia ejusdem religionis, quia non potest religio omnino carere his bonis temporalibus, vel quoad proprietatem, possessionem et usum, vel saltem quoad simplicem retentionem et usum, juxta uniuscujusque modum; quomodocumque autem habeantur, necesse est ut eorum administratio et cura ad aliquem pertineat. Non potest autem pertinere ad singulos, tum quia per se repugnat ordini, et conservationi rei; tum etiam quia potius per votum paupertatis simul impediti sunt, ne propria voluntate et arbitrio possint de temporalibus bonis disponere, ut supra tractatum est. Quamvis autem hæc potestas in tota communitate, ut sic, esse possit, tamen non potest communitas per se ipsam immediate exercere omnia quæ ad hanc administrationem pertinent; et ideo necesse est ut hæc potestas vel omnino, vel magna ex parte Prælate commissa sit. Explicandum ergo a nobis est quantum potestatis in hoc genere commissum sit Prælati religionis, et ad quos actus, et cum quibus conditionibus extendatur. Quia vero hæc concessio potestatis aliquo jure constare debet, triplex jus hic distinguere possumus, scilicet naturale, commune seu canonicum, et speciale ex privilegiis seu ordinationibus Pontificum circa singulas religiones. Primum breviter expedimus, quia fere ad usum non deservit. Ter-

rum autem latissime patet, et fere non cadit sub generalem doctrinam; sed unaquæque religio sua debet scire statuta et privilegia; et ideo solum obiter et gratia exempli, aliquid particulare institutum indicabimus. Dicemus ergo præcipue de potestate quam ad hanc administrationem habet Prælati religionis jure communi. Et quamvis hæc potestas de facto amplior videatur esse in universalioribus Prælati, quia tamen jura canonica, ut supra notavi, frequentius loquuntur de Abbatibus, quibus respondent omnes Prælati conventuales, ideo potestatem hanc in eis explicabimus, unde facile constabit quid de cæteris dicendum sit. Tandem, quia actiones hujus administrationis variæ sunt, omnes possumus ad tria capita revocare, quæ sunt recipere, conservare et alienare. Sub prima comprehendimus omnem acquisitionem honorum, quæ religioni fit; sub secunda, omnem actionem quæ pertinet ad gubernationem, beneficentiam, augmentum, custodiam et usum talium honorum; ad tertiam pertinet omnis consumptio, distractio, seu alienatio; imo etiam omnis usus talium honorum.

2. *Positam assertionem non procedere loquendo ex natura rei, probatur.* — *Confirmatur.* — Primo ergo dicendum est, juxta primævam institutionem religionum, quam jus antiquum admittebat, totam administrationem honorum monasterii esse seu fuisse apud solum Abbatem. Colligitur ex c. *Nullam*, 19, q. 2, ubi Pelagius Papa inquit: *Universa, quæ vel ad divini cultus reverentiam, vel ad utilitatem monasterii pertinent, Abbatis sollicitudo, ad quem potestas tota pertinere conferret, debeat adimplere.* Hoc autem jus, quantum ex verbis ejus colligitur, non constitutum, sed declarativum fuit; non enim de novo statuit, sed pro constanti supponit totam potestatem esse apud Abbatem. Est ergo advertendum, ex vi status religiosi, et secluso omni jure positivo ecclesiastico, fieri potuisse, et antiquitus ita factum esse, ut hæc potestas tota in solo Prælate existat. Dico fieri potuisse, quia hoc semper dependet ex voluntate et consensu totius communitatis. Si enim ex sola rei natura loquamur, ex vi institutionis religiosæ congregationis, in qua singulæ personæ paupertatem profitentur, potestas administrandi quæcumque bona, immediate est in ipsa communitate, quia illa est domina, vel usuaria per se primo. Item, quia ex natura rei non est major ratio de uno membro illius communitatis, quam de alio. Præterea,

quia, cum omnes habeant votum paupertatis, nullus potest proprio nomine uti hujusmodi bonis; ergo oportet ut facultas, in quocumque particulari sit, derivetur ab alio; non potest autem resolutio ultima fieri nisi ad totam communitatem ut sic; quia in nulla particulari persona sistere possumus intra communitatem ipsam; non oportet autem extra illam progredi, ut, scilicet, potestas illa manet ab Episcopo, vel Pontifice, nam unaquæque communitas habet jus proprium administrandi sua bona, quo non privatur communitas religiosa, eo quod religiosa sit, quia non repugnat voto paupertatis singulorum, nisi hoc etiam voluntarie profiteatur; pendet ergo hoc ex voluntate eorum, qui ad instituendam, vel inchoandam talem communitatem primum conveniunt; nam illi possunt inter se statuere, et quasi pacisci ut tota administratio temporalium rerum sit apud solum Prælatum; ergo ita fieri potuit in initio religionum; semel autem facta et approbata institutione, qui eam postea profiterentur, consequenter præberent suum assensum, et quantum in ipsis esset, idem jus in Prælatum transferrent. Confirmatur ac declaratur, nam hæc potestas administrandi bona temporalia nec est jurisdictionis, nec per se requirit illam, sed est potestas dominativa, sub hac comprehendendo potestatem ministerialem a domino commissam; ergo talis potestas respectu communitatis religiosæ, per se, et ex natura rei, ac secluso jure positivo, non pendet a concessione Pontificis, vel alterius Prælati ecclesiastici, sed ex voluntate eorum, qui in tali communitate sociantur; ergo per eandem voluntatem fieri poterit, ut in solum Prælatum ea potestas transferretur.

3. *Probatur jam assertio loquendo ex positiva voluntate ipsius communitatis.* — *Primo, auctoritate.* — *Secundo, ratione.* — *Administratio hæc cur in solidum competeat Prælate.* — Quod autem ita in initio religionum factum sit, intelligi potest ex antiquis institutoribus religionum, et Regulis eorum. Basilius, in regula 7 et 8, ex fusius disputatis, et serm. 2 de Instit. monachor., et sæpe alias docet, totam hanc curam debere esse apud Antistitem, et ita interpretatur exemplum primitivæ Ecclesiæ, quando omnia erant communia, et singulis dividebantur prout unicuique opus erat. Et de eadem re videri possunt, in regulis brevioribus, 87, 91, 100 et 101, et 302. Similiter Augustinus, in Regula, statim in principio: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint*

*robis omnia communia, et distribuatur unicuique vestrum a Præposito vestro, etc., et infra præcipit ut nihil occulte accipiatur, sed sit in potestate Præpositi. Cassianus etiam, lib. 4 de Institutis renunciant., c. 13 et 14, idem de antiquis monachis refert, de quo etiam legi potest c. 20 et sequentibus, in quibus plane supponit, totam hanc curam penes Abbatem fuisse; et idem sumitur ex toto lib. 7. Idem constat ex Regula S. Benedicti, c. 32 et 33, et 54 et 57, in quibus locis, et aliis, supponit totam hanc potestatem esse apud Abbatem; quod generalius declarat c. 65. Idem habetur in Regula S. Pachonii, c. 18 et 19, et regula 40. Denique reduci hoc posset ad primam congregationem religiosam quæ in Ecclesia fuit, nimirum Collegium Apostolicum, in quo ita erant omnia communia, ut eorum dispensatio et administratio præcipue ad Christum Dominum pertineret. Unde cum Joannis 13, Christus Judæ dixisset: *Quod facis, fac citius, discipuli existimarunt, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret.* Ratio vero hujus institutionis reddi potest, quia, ut in principio num. 1 dicebamus, necessarium fuit hanc potestatem alicui committere, quia non poterat per totam communitatem administrari; ergo maxime debuit committi Prælate, ut debitus ordo, et perfecta obedientia in omnibus servaretur. Et quamvis possit non soli Prælate, sed cum consilio et consensu paucorum hæc potestas committi, non tamen legitimus ita olim esse factum, sed potestatem fuisse soli Prælate commissam, quamvis ad prudentiam et obligationem ejus pertineret uti consilio aliorum juxta rerum qualitatem. Ratio autem esse potuit, quia vel monarchia etiam quoad hanc partem tanquam perfectior gubernatio electa est, vel quia hoc judicatum est pertinere ad majorem sui et rerum omnium abnegationem, et obedientiæ ac paupertatis professionem. Juvare etiam potuit, quia monachorum bona parva tunc indigebant administratione, et Abbates veri patres erant, et aliorum utilitati, non suæ consulabant.*

4. *Hanc in solidum administrationem jus commune approbavit.* — Ob has ergo et alias causas talis fuit olim religionum institutio quoad hanc partem, eamque jure communi antiquo Pontifices approbarunt, ut docet Panormitan. et communis sententia, in c. *Edoceri*, de Rescriptis, et in c. *Ad Apostolicam*,

de Regul., et Navarr., Commen. 3, de Regul. rib., n. 5 et 6, et sufficienter probatur ex d. c. *Nullam*, et ex d. c. *Ad Apostolicam*, et ex c. *Cum ad monasterium*, de Statu monachorum, juncta glossa ibi, verbo *Amoveri*, et c. 2 ejusdem tituli, ibi: *Nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum.* Item ex c. *Edoceri*, de Rescriptis, ibi: *Cum ex officio suo teneantur* (scilicet Abbates) *congregationis suæ negotia procurare.* Additur autem statim: *Nisi Abbatis et conventus negotia essent omnino discreta*, ubi Panormitanus, n. 2, advertit hoc non esse secundum jus commune, nam ex hoc jure omnia debent esse communia in statu regulari quoad dominium, et pertinere ad Abbatem quoad administrationem. Ratio autem hujus communis juris fuisse videtur, quia in eo Pontifices non tam condiderunt novum jus quantum ad monachos spectat, quam approbaverunt et confirmaverunt quod ex vi suæ professionis institutum erat.

5. *De potestate acquirendi.* — Sed quæres ad quos actus, ex tribus allatis in fine n. 1, extendatur ex vi juris antiqui hæc potestas Prælati. Respondetur, nullam in hoc inveniri limitationem in jure scripto, præter eam, quæ, in d. c. *Nullam*, significatur per illa verba: *Fideliter et studiose, universa, quæ vel ad divini cultus reverentiam, vel ad utilitatem ejusdem monasterii pertinent.* Per quæ verba nihil speciale additum est, sed explicatur solum quod ex natura rei necessarium est. Itaque ex tribus illis actibus, quos supra numeravimus, in primo, scilicet acquirendi monasterio, nulla limitatio ponitur, sed tota auctoritas est penes Abbatem; supponendum est enim acquisitionem esse justam, et decentem religioso statui; talis enim acquisitio ex se cedit in utilitatem monasterii, et ad cultum Dei ex se refertur, et ideo absolute et simpliciter comprehenditur sub prædictis verbis, et pertinet ad dictam potestatem. Unde ratione illius potestatis Prælati recipere quidquid monasterio oblatum fuerit, et quod sibi fuerit donatum, quamvis non sibi, sed monasterio acquirat. Item, cum illius facultate alii possunt acquirere monasterio, quamvis non sibi; sine illa autem nec sibi, nec monasterio. Et ideo quoad hunc actum recte additum est in illo textu: *Ad utilitatem ejusdem monasterii*, quia hæc potestas non extenditur ad acquirendum alicui personæ privatæ, sed soli monasterio, cum alia acquisitio paupertati repugnet.

6. *An Abbas unius monasterii possit acquirere alteri monasterio.* — Sed ponderanda est particula *ejusdem*; quia unus Abbas non potest acquirere alteri monasterio, sed solum illi cujus administratio illi commissa est; quia in alia monasteria nullam habet potestatem. Inquiret vero aliquis quomodo posset unus Abbas acquirere suæ religioni pro alio monasterio, quando unusquisque Abbas erat supremus, et non habebant unum Prælatum generalem, neque etiam capitulum generale celebrabant, cujus consensu et potestate posset talis acquisitio fieri. Respondetur, in eo casu nullum Abbatem unius monasterii potuisse ex vi sui muneris acquirere alteri monasterio, vel (ut ita dicam) potuisse acquirere aliud monasterium et bona ejus suæ religioni, cum ejus prælatio non extenderetur extra suum monasterium. Potuisse nihilominus facultatem concedere aliquibus ex suis subditis, ut in alio loco novum monasterium erigerent, cujus acquisitio et acceptatio ab eisdem, non ut singulis, sed ut universis, id est, ut constituentibus novum capitulum, fierent, et tunc ad illos etiam pertinere proprium eligere Abbatem, ad quem administratio honorum novi monasterii pertineret. Adde insuper, monachos tunc fuisse Episcopis subjectos, quorum auctoritate et consensu respective monasteria erigebantur, et ita accedente consensu Episcopi diocesis in qua monasterium erigendum erat, et concurrente novo capitulo religiosorum illuc convenientium de licentia sui Abbatis, vel suorum Abbatum, facile poterat nova acquisitio fieri tali religioni.

7. *De potestate conservandi.* — *Conservatio hæc ad alios etiam subditos attinet suo modo.* — Quoad secundum actum, qui est conservatio bonorum, nulla etiam necessaria est limitatio, præter eam quam citata verba præ se ferunt; habet enim Prælatum totam potestatem, quæ ad debitam conservationem et gubernationem talium bonorum necessaria est, non minus quam si essent sua propria, quia et ad bonum regimen hoc necessarium est, alioqui communia bona facile perirent; tum etiam quia hæc est intentio domini talium bonorum, id est, conventus, a quo, ut diximus, manavit hæc potestas. Unde etiam fit, ut juxta mensuram potestatis sit etiam mensura obligationis quoad hanc curam et sollicitudinem ita fideliter administrandi talia bona, ut ad majus Dei obsequium, majoremque monasterii utilitatem conserventur. Unde, quia per se non potest totam curam immediate exercere,

ad eandem potestatem spectat posse officiales et ministros creare, per quos hanc temporalem curam exequantur, quibus etiam obligationem res fideliter administrandi et conservandi imponant, quæ obligatio tantæ æstimationis erat inter antiquos Patres, ut delictum reputarent tres lenticulas e manibus per nonnullam incuriam elabi, ut est apud Cassianum, lib. 4 Instit., c. 20: *Cujus (inquit) negligentia reatus non aliter ei remisus est, nisi eum publica penitentia diluisset.* Et rationem declarans subdit: *Non solum enim seipsum non esse suos, sed etiam omnia quæ sua sunt, credunt Domino consecrata. Propter quod si quid fuerit monasterio illatum, ut sacrosanctum cum omni decernunt reverentia debere tractari, tantaque fide universa procurant atque dispensant, ut etiam ea, quæ despectui habentur, parvaque reputantur, ac vilia, sive loco moverint, vel competentius collocaverint, si tenuem festucam de oratorio cellæ submoverint, mercedem se consecuturos a Domino tota credulitate confidant.* Ex quibus verbis intelligi potest, curam hanc conservandi bona monasterii, ad omnes et singulos religiosos pertinere, sed diverso modo; nam ad omnes pertinet conservatio quasi per accidens, per obligationem (ut sic dicam) negativam, non dissipandi, aut non male tractandi res monasterii; quæ obligatio et ad paupertatem et interdum ad justitiam pertinere poterit. Positiva autem cura conservandi res, per se non spectat ad singulos, nisi quatenus charitas interdum eam dictare potest; spectat ergo ex officio et justitia ad Prælatum, cui est primario commissa dicta potestas, per participationem vero ad ministros quos ipsi sibi constituerint. Denique etiam pertinet ad Prælatum strictiori modo conservatio rerum per negativam obligationem non consumendi vel alienandi res nisi juxta mensuram statim explicandam.

8. *De potestate alienandi, ac primo quoad mobilia.* — *Notatio variorum bonorum mobilium ac usus eorum.* — *Usus pecuniæ duplex.* — Tertius ergo actus, et præcipuus hujus potestatis est alienatio talium bonorum; sub qua voce comprehendimus omnem usum quo talia bona consumuntur. Hic ergo actus etiam est commissus ex vi juris antiqui Prælato monasterii sine ulla limitatione, præter eam quam jus naturæ postulat, nimirum ut talis dispensatio sit *fidelis, et in monasterii utilitatem.* Ut autem hoc magis in particulari explicetur, distinguere possumus bona monaste-

rii in mobilia et mobilia; de quibus terminis diximus lib. 4 Defensionis fidei, c. 18; et mobilia rursus in ea quæ permanentem habent durationem cum ipso usu, ut sunt vestes, libri et similia; et in ea quæ usu consumuntur, quæ duplicia etiam distingui possunt: quædam, quæ pertinent immediate ad conservationem vitæ, ut sunt esculenta et poculenta, quædam quæ mediate, ut pecunia. Ab hac ergo ultima incipiendo, duplicem habet usum (quantum ad præsens spectat) quo potest consumi, nimirum aut emendo, late hac voce utendo, ut explicavi; aut gratiose donando; et uterque est suo modo in potestate Prælati religiosi, quatenus uterque vel necessarius, vel utilis, vel decens monasterio, aut religionis ejus (inter quos Prælatum ipse præcipue computatur) esse potest, et ideo necessario debet potestas Prælati ad hunc usum extendi. Est tamen differentia inter illos duos usus, quod prior licet sit consumptio pecuniæ, non tamen est consumptio bonorum, sed commutatio, quia loco pecuniæ succedit illud, quod per illam emitur, quodque ad usum humanæ vitæ necessarium est, et ideo in eo usu major facultas conceditur.

9. *De usu pecuniæ qui est emptio.* — Nam extenditur imprimis ad ea omnia, quæ ad divinum cultum necessaria, vel decentia prudenter judicata fuerint, servata proportionem ad monasterii facultates, et ad modum ac institutum religionis; quod et per se satis est consentaneum rationi, et sufficienter fundatur in illo verbo d. c. *Nullam: Vel ad divini cultus reverentiam,* sub quo verbo, ut recte notavit Navarrus, comprehenduntur omnes sumptus fabricæ et ornamentorum ecclesiæ; addo etiam ministrorum secularium, si qui forte ad servitium ecclesiæ necessarii sunt: nam hæc omnia pertinent ad reverentiam divini cultus, et hos omnes sumptus nomine *emptionis* comprehendimus. Deinde extenditur ad ea omnia quæ ad religiosos sustentandos, et convenienter, et decenter, juxta suum statum fuerint opportuna; quia ad hunc finem maxime talia bona deputata sunt, et sub his sumptibus comprehenduntur omnia quæ pertinent ad fabricam monasterii, et ad suppellectilia ejus, tam communitati quam singulis necessaria, tam quoad corporis conservationem, ut sunt ea, quæ ad delectum et vestitum spectant, quam ad alia ministeria juxta institutum religionis convenientia, ut sunt libri, et similia. Et huc etiam spectant expensæ, quæ fieri solent cum operariis, seu

servitoribus, et jumentis familiæ religiosæ necessariis. Hæc enim omnia et similia prudenti arbitrio Prælati commissa sunt, et ideo ad illa omnia plenam accipit potestatem, commensuratam regulæ, et rectæ rationi. Adde etiam non solum posse, sed etiam debere Prælatum hujusmodi sumptus et expensas facere, quia non solum charitas, sed etiam officium illum rigore obligant; nam sub hac lege et conditione munus accepit, unde, ut supra dicebamus, intercedit quasi pactum mutuum inter religiosos et religionem, cujus potestatem et obligationem Prælatum suscepit.

10. Addit vero Navarrus posse Prælatum imprimis accipere necessarios et honestos usus suæ personæ, et secundo loco ponit usus fabricæ, et in tertio sustentationem conventus, juxta doctrinam Abbatis, in c. *De his, de Eccl. ædific.*; ibi tamen Panormitanus loquitur de clericis secularibus habentibus beneficia in alia ecclesia, de quibus ait, non teneri ex fructibus sibi necessariis ecclesiam ædificare, vel instaurare, vel pauperes alere, sed ex superabundantibus. At in nostra materia longe diversa ratio est; tractamus enim de conventibus religiosi, in quibus perfectus modus vivendi in communi, et rigor disciplinæ servatur, ubi non est (seclusis abusibus) certa portio ad sustentationem Prælati, alia ad fabricam, alia ad religiosos sustentandos designata; sed omnia monasterii bona indivise destinata ad omnia onera hujus conventus sustentanda. Quapropter, non invenio ordinem ullum quem possit Prælatum inter se et alios servare, præter eum quem necessitas potest exigere, quæ interdum obligabit ad subveniendum prius aliis quam sibi, interdum e contrario. Per se autem loquendo, æque primo ad alendum totum conventum tenetur, in quo ipse etiam comprehenditur, potest autem cedere juri suo, non vero aliorum, nisi in his quæ regulæ consentanea sunt; et e converso, sicut non debet terminos regulæ aut modestiæ religiosæ cum aliis excedere, ita nec secum, quod multo magis cavere debet, tum propter exemplum, tum propter periculum quod ex propensione, quam unusquisque habet ad seipsum, oriri facile potest. Per hæc tamen non excluditur, imo maxime commendatur proportionalis distributio, nam æqualitas religionis non consistit quoad hanc partem in absoluta unitate, seu pariformitate, sed in proportionali distributione; optima autem